

Dei providentia possibilem, consequenter anima a corpore separata, solum possidendam; unde immortalitatem corporis homini indebitam patet.

*Nec obstat cont. 2<sup>um</sup>. 1<sup>o</sup>.* Quod sit contra *legem æternam* Dei et ordinem universitatis, ut miseriæ homini accidant sine prævia culpa, ut docet S. Aug. L. 3. de lib. arb. c. 9. n. 23. 26., et L. 1. ibid. c. 6. n. 13., ac in Ps. 38., et L. 7. Conf. c. 3.

R. Hæc tantum tenere, et asseri a S. Aug., si miseriæ humanæ sumantur ut pœnæ et vindictæ *formaliter*, non autem si præcise spectentur ut afflictiones vel cruciatus.

*Nec obstat 2<sup>o</sup>.* Quod lædatur *divina providentia*, si homo absque culpa prematur jugo afflictionum temporalium, ut docet S. Aug. L. 1. de lib. arb. c. 1. n. 1., L. 3. ibid. c. 18. n. 51., L. 4. cont. Jul. c. 16. n. 83.

R. Hæc asseri a S. Aug., dum loquitur vel de pœna æterna, vel de afflictionibus *formaliter* pœnalibus, vel de providentia præsentis, qua Deus mala corporea a prima hominis institutione gratuito ablegavit et ablegare decrevit, donec ea peccato mereremur.

*Nec obstat 3<sup>o</sup>.* Quod, si homo absque peccato cruciatur, violetur *justitia divina*, ut S. August. docet generatim. L. 2. cont. Jul. c. 10., L. 6. c. 5., et passim L. 1. et 2. Op. imperf.; speciatim vero L. 2. cont. Jul. c. 4. 5. 6. 9., item L. de pecc. orig. c. 13.

R. S. Aug. arguere hic contra *Pelagianos* ex supposito a se probato, quod parvuli ex prima conditione sua sint omnis mali corporei expertes, siquidem natura humana condita fuit sine subiectione ad corporales miseras; unde sic recte argumentabatur: Parvuli ex prima conditione et legibus ipsi annexis non possunt innocentes affligi absque injustitia Dei: per te, *Juliane*, innocentes sunt, et plurimis tamen malis affliguntur; ergo eorum afflictio est injusta. Hoc vero argumentum contra nos non tenere ex ipso quæstionis statu patet.

*Nec obstat 4<sup>o</sup>.* Quod similiter sequatur, *clementiam divinam* destrui aut imminui; ut S. Aug. indicat contr. Fortunat. Manich. Disp. 1. et 2., L. 22. cont. Faust. c. 22. et in Ps. 134.

R. Crudelitatem Deo impingere *Manichæos* his in locis docet S. Aug. ex multiplici ratione; tum quia illi inter miseras, quibus animas innocentes subijci a Deo dicebant, numerabant peccatum: tum quia statuebant, animas a Deo destinatas æternis cruciatibus: tum quia causam immittendi miseras etiam humanas non revocabant ad Dei gloriam et animarum utilitatem, sed in vanam quamdam cautionem mali Deo imminentis ex gente tenebrarum; ut proin Deus homines tantum, ut miseri essent, affligeret.

#### ARTICULUS IV.

##### AN POSSIBILIS SIT STATUS NATURÆ PURÆ?

163. *Nota I.* Tres omnino in partes divisi sunt, qui de statu naturæ puræ aliquid enuntiarunt. Ad 1<sup>am</sup>. pertinent *Pelagiani*, qui non tantum possibilem hunc statum, sed reipsa etiam existere ac extitisse docuerunt. Hunc vero errorem invicte repressit S. Aug. libris præsertim contra *Julianum*.

Ad 2<sup>am</sup>. spectant, qui eum nec extitisse unquam, nec possibilem statuunt.

Inter hos *Lutherus* in L. 3. Genes. dixit, justitiam originalem homini tam naturalem esse, ac naturale est oculo, ut videat lumen. *Calvinus* L. 1. Instit. c. 13. §. 1. et L. 2. c. 1. §. 6. eandem repetit ex attributis Dei: similis sensus fuit *Baii* in pluribus propositionibus ea de re damnatis; a quo non dissensit *Jansenius*, quamvis vocabula mutarit. Nec alia, quam quæ *Iprensis* præformavit, argumenta afferunt Catholici quidam Doctores, qui salva, quam Ecclesiæ debent, reverentia, conantur statum memoratum inter impossibilia rejicere.

3<sup>am</sup>. maximamque conflant reliqui Catholici, existentiam quidem negantes, sed passim asserentes hujus status possibilitatem; quamvis nonnulla sit inter eos adhuc dissensio tum ex parte virium naturæ puræ, tum ex parte auxilii naturalis illi naturæ debiti.

166. *Dico.* Status naturæ puræ est possibilis, et nulla ex parte repugnat. Patet ex propositionibus *Baii* damnatis 21. 26. 33. 78. et 79. etc.

*Prob.* Possibilem esse statum naturæ puræ est, creari posse hominem cum perfectione sua *essentia* omnibusque facultatibus et accidentibus *connaturalibus*, atque concursu divinæ providentiæ naturaliter illis debito; ac præterea sine bono vel malo naturæ superaddito, h. e. sine elevatione ad beatitudinem supernaturalem donisque supernaturalibus ex una parte, ex altera autem etiam sine peccato originali vel alio, pœnisque ei debitis et præternaturalibus. Atqui hominem sic creari posse non repugnat; ergo.

*Prob. min.* Hominem sic creari non repugnat ex parte status; quia in eo habetur omne, quod ad naturam humanam pertinet; nihil adest turpe, inhonestum aut vitii; nihil deesset, nisi gratuitum et indebitum: nec ex parte hominis; quia capax est ex nativis et intrinsecis suis principiis non minus doloris et tristitiæ ac gaudii et voluptatis; absente gratia et elevatione non habet defectum alicujus debiti et naturalis; gauderet naturali suo iudicio, libertate aliisque facultatibus, quibus posset se ipsum excolere et debitum finem assequi: nec ex parte Dei; quia non repugnat ulli divino attributo.

*Conf.* S. Aug. agens contra *Manichæos* et Deum liberaturus ab eorum blasphemia, qua illi creatorem tanquam auctorem mali vituperant ob *ignorantiam* et difficultatem seu *concupiscentiam*, quibus subijcitur, quatuor supponit modos, quibus animæ produci et corporibus uniri possunt, quin Deus creator esset auctor peccati aut vituperandus: 1<sup>us</sup>. est, si ex anima peccatrice reliquæ omnes per traducem descenderent: 2<sup>us</sup>. si ante peccatum præcedens singulæ animæ crearentur et unirentur corpori: 3<sup>us</sup>. si omnes animæ prius alibi existentes mitterentur ad informanda corpora: 4<sup>us</sup>. si ad eadem sponte sua delaberentur.

*De secundo modo* ita loquitur S. Doctor L. 3. de lib. arb. c. 20. n. 56. *Si ergo altera (anima) talis esse cepit, non solum ante peccatum, sed ante omnem vitam suam, qualis alia post vitam culpabilem facta est, non parvum bonum habet, unde Conditori suo gratias agat; quia ipse ortus ejus et inchoatio quovis perfecto corpore est melior. Non enim mediocria bona sunt, non solum quod anima est, qua natura jam omne corpus præcedit; sed etiam quod facultatem habet, ut adjuvante creatore seipsam excolat, et pio studio possit omnes acquirere et capere virtutes: per quas et a difficultate cruciante et ab*



*ignorantia cœcante liberetur. Quod si ita est, non erit nascentibus animis ignorantia et difficultas supplicium peccati, sed proficiendi admonitio et perfectionis exordium. Non enim ante omne meritum boni operis parum est accepisse naturale iudicium, quo sapientiam præponat errori et quietem difficultati, ut ad hæc non nascendo, sed studendo perveniat.*

167. Constat autem hanc hypothesin 1<sup>o</sup>. Esse eandem cum statu *naturæ puræ*: 2<sup>o</sup>. Suppositam fuisse a S. Aug. tanquam possibilem, cum ea ad Manichæos refellendos eodem L. c. 22. n. 64. et c. 23. n. 68. utatur, illique vim magnam inesse alibi testetur: 3<sup>o</sup>. Nullatenus repugnare perfectionibus divinis; cum in ea haberet anima non parvum bonum, unde Conditori suo gratias ageret; se ipsam excolere ac virtutes acquirere posset; et ignorantia ac difficultas non forent supplicium peccati, sed proficiendi admonitio et perfectionis exordium, quæ ipsa verba sunt S. Doctoris.

168. *Excipit* Jansenius, et 1<sup>o</sup>. dicit (L. 3. de statu puræ nat. c. 19.), S. AUGUSTINUM retractasse, quæ scripserat loco laudato, cum ep. 28. (al. 166. n. 18.) ad Hier. de pœnis parvulorum, quarum præcipuæ sunt ignorantia et concupiscentia, hæc enuntiet: *Ego quidem... de pœnis parvulorum, quas in hac vita patiuntur, dixi aliquid in libris illis de libero arbitrio: quod quale sit, et cur mihi in ista, quam habemus in manibus, questione non sufficiat, indicabo.*

R. Alia omnia ex ipso S. Aug. discimus; nam L. 1. *Retract.* c. 9. n. 6. ait: *Quamvis ignorantia et difficultas, etiãmsi essent hominis primordia naturalia, nec sit culpandus, sed potius laudandus esset Deus, sicut in eodem libro tertio (de lib. arb.) disputavimus.* Hoc ipsum repetit L. de dono persev. c. 11. n. 26; utrobique tamen addit, hanc disputationem valere contra *Manichæos*, non autem contra *Pelagianos*, licet utrique peccatum originale negarent, sed ex diversis principiis. Contra illos enim, qui Deum auctorem omnium malorum faciebant, et auctoritatem quidem Vet. Testamenti negabant, Novi autem testimonia eludebant, agendum erat variis rationibus et *hypothesibus*, ex quibus efficeret Deum non esse auctorem mali, quamvis ignorantia et difficultas essent naturæ primordia: contra hos autem qui ignorantiam, aliasque miseras naturæ primordia statuebant, ut eas negarent esse peccati pœnas, his armis uti non poterat, ideoque eos impugnat ex præsentis rerum statu ac ordine, atque ex Scripturis universis, quas *Pelagiani* admiserunt.

Unde ratio elucescit, quare verba superius relata ad Hier. scripserit; siquidem etiam ibidem unice contendit, quod ubi dixerat, *pœnas parvulorum* a Deo aliis bonis compensari, in statu præsentis intelligatur duntaxat de iis parvulis, qui vel martyrismum pro Christo subeunt, vel baptismum obtinent.

2<sup>o</sup>. Dicit idem *Jansenius* (de stat. puræ nat. L. 3. c. 17.), hypothesin allatam esse diversam a statu *puræ naturæ*; tum quia supponit peccatum, ut patet ex L. 3. de lib. arbitr. c. 19. n. 54. ubi mentionem facit de peccato Adami: tum quia supponit gratiam, ut patet ex verbis c. 26. n. 56.: *Adjuvante creatore, seipsam excolat, et pio studio possit omnes acquirere virtutes;* et ex doctrina ejusdem alibi sæpius data, quod concupiscentia et ignorantia nequeat vinci nisi gratia supernaturali.

R. N. Ass. cum utraque ratione. Patet enim ex verbis relatis: 4<sup>o</sup>. non

supponi hic peccatum, cum dicatur: *non solum ante peccatum, sed ante omnem vitam suam; et, ignorantia ac difficultas essent primordia naturalia, non supplicium peccati.* Quod igitur de peccato Adami refertur, non ad hanc, sed aliam hypothesin pertinet. Neque 2<sup>o</sup>. supponi gratiam saltem proprie dictam et supernaturalem, ostendunt verba, quæ dicitur anima ejusmodi *accipere naturale iudicium*, h. e. dictamen rationis, *quo sapientiam præponat errori et quietem difficultati.* Hinc per *adjutorium creatoris, virtutes*, et quarum mentio c. 22. fit, *dilectionem ac beatitudinem*, intelliguntur auxilia, virtutes, amor et beatitudo (nisi hæc postrema referantur ad *tertium modum*) non supernaturalis, sed naturalis tantum ordinis. Quæ vero S. Aug. alibi de victoria concupiscentiæ dicit, alibi examinabuntur, nec ad hypothesin hic propositam, sed ad statum naturæ præsentem pertinent.

3<sup>o</sup>. Dicit (loco cit. c. 20.), eandem hypothesin afferri, licet *falsa* esset et *impossibilis*, sicut eod. L. 3. de lib. arbitr. c. 16. n. 46. in hypothesi falsa, quod necessitemur ad peccandum, contendit S. Aug. nihilominus Deum esse laudandum.

R. Hypothesis data nec falsa est *ex se*, ut supr. ostensum, nec *falsa* et *impossibilis* est æstimata a S. Doctore; tum quia hoc non nisi temere asseritur: tum quia ex ante dictis constat, eam omni ex parte possibilem ab eodem esse admissam: tum quia si hæc hypothesis fuisset æstimata impossibilis ratione repugnantie, scilicet cum æquitate divina, nec potuisset dici Deus in ea non culpandus, sed laudandus, nec S. AUGUSTINUS expedivisset se a difficultate *Manichæorum*, qui opponebant ignorantiam et difficultatem non posse nisi a malo principio oriri.

De alia hypothesi ex c. 16. allata discrimen est, quod hæc non tam hypothesi, sed *argumentum ad hominem* et dilemma conflatum ex hypothesi impossibili a Manichæis asserta, unde etiam absolute non asserit Deum in hac hypothesi esse laudandum, sed tantum concludit ex duobus principiis, quorum neutrum verum esse poterat, sed tamen alterutrum a *Manichæis* erat admittendum. Sic enim arguebat S. Aug.: In hypothesi naturalis necessitatis admissa, vel homo vituperari potest et culpari ut peccator, vel non: si *primum*; in tantum erit peccator, in quantum se avertit a creatore, atque adeo laudandus erit creator, a quo averti debet, qui vituperatur ut peccator: si *alterum*; jam homo non peccabit, et nihil erit, cur illius creator reprehendatur. In nostra vero hypothesi *absolute* et ex propria sententia affirmat Deum esse laudandum, neque id evincit ex falsis principiis, sed ex ipsa ignorantie ac difficultatis natura.

4<sup>o</sup>. Additur S. Doctorem revincere *Manichæos* ex illorum hypothesi, nihilque diserte addere de gratia supernaturali, quia illi cum Manichæis non erat controversia de gratia, sed de natura mali; quamvis cæteroquin illi certum fuerit, nec primum hominem nulla adversus se carnis pugna tentatum potuisse sine gratia in accepta justitia perseverare, ut liquet ex L. de don. persev. c. 12. n. 30. Et S. THOMAS in Compend. Theol. c. 186. manifeste docet, non absque gratia Dei contineri posse inferiorem partem rationi rebellem.

R. In *primis* male dicitur hæc hypothesi fuisse propria *Manichæorum*; cum tertia et quarta hypothesi non minus eorum errori de malo rerum principio congruat, ac secunda; S. Aug. autem de omnibus quatuor, L. 3.



de lib. arb. c. 21. n. 59. dicat : *Harum quatuor de anima sententiarum..... nullam temere affirmare oportebit.* Idem deinde non ex allata tantum ratione nullam fecit mentionem gratiæ supernaturalis, sed quia existimabat non aliud auxilium nisi naturalis ordinis in ea hypothese requiri, ut satis luculenter insinuat, dum animæ illi *naturale iudicium et facultatem* tribuit, *quæ seipsam excollat, et pio studio possit acquirere et capere virtutes.*

Quod denique S. AUG. alibi requirat *supernaturalem gratiam* ad perseverandum, non officit præsentis systemati; tum quod in alio naturæ statu non tantum supernaturalis gratia quæcumque, sed plane singularis requiratur: tum quod hic non examinetur, quodnam auxilium postuletur ad statum *naturæ puræ* penitus consummandum, sed constituendum duntaxat in ejus ortu; unde S. Doctor de lib. arb. L. 3. c. 20. n. 56. ait: *Quantquam enim in ignorantia et difficultate anima nata sit, non tamen ad permanendum in eo quod nata est, aliqua necessitate comprimitur.* Posset autem in data hypothese saltem ad perseverantiam admitti auxilium *philosophice* supernaturale et quoad modum.

Laudata D. THOMÆ auctoritas postremo nihil quoque evincit, utpote de institutione Adami enuntians, cum nos de *natura pura* loquamur: de qua manifesta sunt Doctoris Angelici pro nobis testimonia. Nam in 2. Dist. 31. q. 1. a. 2. ad 3. sic loquitur: *Poterat Deus a principio, quando hominem condidit, etiam alium hominem ex limo terræ formare, quem et in conditione suæ naturæ relinqueret, ut scilicet mortalis et passibilis esset, et pugnam concupiscentiæ ad rationem sentiens; in quo nihil humanæ naturæ derogatur, quia hoc ex naturæ principii consequitur.* Statum autem naturæ hujus non involvere gratiam, patet ex ejusdem ANGELICI ratione, qua tum hic, tum alibi sæpius utitur, videlicet quod integritas et justitia primi hominis non fuerit secundum naturam, sed supernaturale donum gratiæ.

Vide ibid. q. 1. a. 1. Item de malo q. 4. a. 1. Et in Summ. p. 1. q. 5. a. 1. Denique contra Gentes L. 4. c. 52., ubi hoc non ut verum duntaxat, sed ut certissimum secundum fidei doctrinam tradit.

169. *Obj. I.* Homo creari nequit sine ordinatione ad finem ultimum: sed finis ultimus est *clara Dei visio*; quia extra hanc nihil est, quod hominem vere beatum reddere possit, ut ait S. AUG. L. 1. Conf. c. 1. *Fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te*; ergo homo sine ordinatione ad claram Dei visionem, et hinc in statu naturæ puræ creari non potest.

R. D. M. Nequit creari sine ordinatione ad finem ultimum saltem naturalem C. Ad finem ultimum supernaturalem, consistentem in visione Dei et amore beatifico huic visioni proportionato N. Finis autem ultimus naturæ puræ conveniens est *beatitudo naturalis*, quæ quatuor partes sive conditiones complectitur: nempe 1°. Quod homo post vitam innocenter actam habeat cognitionem Dei abstractivam in suo genere claram et perfectam, ex qua resultet amor Dei naturalis, etiam suo in genere perfectus. 2°. Quod careat omni peccato; unde parvuli in originali decedentes nequidem naturali beatitudine fruuntur. 3°. Quod excludatur omnis dolor, tristitia, anxietas etc. 4°. Quod hæc beatitudo sit perpetua, et certitudinem possessori suo afferat. Ad rationem R. Similiter, nisi forte probabilius dicatur, S. AUGUSTINUM

locutum esse de statu naturæ *elevatæ*, moderno, in quo per fidem cognoscimus possibilem esse visionem Dei.

*Inst. 1.* S. AUG. frequenter reprehendit *Pelagianos*, quod dicerent infantes nasci in statu naturæ *puræ*, et tamen excludi a *regno cælorum*, si morerentur sine baptismo; atque hinc docebat Dei visionem esse connaturaliter debitam creaturæ rationali.

R. D. Reprehendit *Pelagianos*, supponentes ordinationem parvulorum ad beatitudinem supernaturalem et peccati omnis absentiam, et eatenus statum naturæ puræ admittentes C. Absolutum ex omni parte statum puræ naturæ nobiscum admittentes ac supponentes N. Urgebat sane argumentum S. Doctoris: cum enim *Pelagiani* parvulis ordinationem ad visionem Dei tribuerent, eo quod hos dicerent suscepto baptismo participes futuros regni cælorum; ipse vero eos convicisset, in ejusmodi ordine nec esse medium inter *peccatum et sanctitatem* seu adoptionem filiorum Dei, nec medium inter *cælestem beatitudinem et damnationem*; recte contra eosdem tum ex ostensis tum ex concessis est argumentatus, qui admissa ordinatione ad visionem Dei et parvulorum immunitate a peccatis, hos tamen excludi dicebant a regno cælorum, et ulla poena affici negabant. Quam vero nos ab his omnibus sumus longissime remoti, tam parum etiam nobis hæc omnis argumentatio obest.

*Inst. 2.* Juxta S. AUG. Deus absque injustitiæ labe non posset creaturæ rationali *innocenti* regnum cælorum denegare; ergo cum hoc in natura pura non ordinata ad supernaturalem beatitudinem faceret, hic status tanquam justitiæ divinæ repugnans non est possibilis.

R. N. Cons. Disparitas patet ex modo dictis; quia loquitur etiam hic S. AUG. de præsentis rerum statu et ex supposito naturæ ad *finem supernaturalem* gratuito ordinatæ. Hac autem facta suppositione clarum est, regnum cælorum esse communem omnium hominum patriam, hæreditatem et patrimonium, atque hinc exclusionem ab eo regno habere se instar exilii et pœnæ gravioris, quam Deus justus nulli *innocenti* infligere potest; quod ipsum argumentum est, quod L. 3. contr. Jul. c. 12. n. 23. et serm. 14. de verb. Ap. (al. serm. 294. c. 3. n. 3.) aperte urget. Sicut vero nullibi hæc contendit probare in statu naturæ quocumque, sic etiam in statu præsertim *naturæ puræ*, quem nos ponimus, non tenent.

*Inst. 3.* *Pelagiani* statum naturæ puræ non tantum possibilem, sed existentem asserebant: imo eum ab illis in scholis Catholicas invectum ait *Jansenius*; ergo male dicitur AUG. arguisse in hypothese ordinationis supernaturalis, quia sic perpetuo laborasset vitio petitionis principii.

R. A Pelagianis statum naturæ puræ admissum non esse absolutum *ex omni parte*, sed tantum ex ea, qua gratiam et peccatum adesse negabant. Cæterum inter plurimas a *Jansenio* in Scholasticos conjectas calumnias hæc etiam una est, qua dixit puræ naturæ systema acceptum esse in scholis Catholicas a Pelagio. Præcipuum siquidem caput hujus systematis a Scholasticis recte ponitur in negata ordinatione ad *finem supernaturalem*; tum quia hac asserta penitus negari non potest gratia, utpote medium unicum ad hunc finem requisitum; tum quia ea etiam posita potest saltem ad tempus abesse gratia, ut Theologi supponunt, qui Adamum in gratia conditum negant.

Porro non intervenisse in argumento S. AUG. *petitionem principii* constat;



partim quia S. Doctor sæpius ex Scriptura et traditione probaverat dari nunc ordinationem supernaturalem : partim quia Pelagiani eam admiserant, ut supra dictum est, et habetur serm. 14. de verb. Apost. Qui autem vel probat, quod supponit, vel ab adversario concessum assumit, non laborat vitio petitionis principii.

*Inst. 4.* Homo creari nequit sine ordinatione ad id, quod naturaliter appetit, et id quod homo naturaliter appetit ex S. Auc. L. 13. de Trin. c. 8. n. 11. est beatitudo : vera autem et solida hominis beatitudo consistit in visione Dei ; ergo.

R. D. 1<sup>am</sup>. p. min. Id, quod homo naturaliter appetit, est beatitudo in communi C. est beatitudo in particulari *subd.* quod appetit naturaliter, h. e. ad quod appetendum et desiderandum impellit ipsa natura hominem, supposita revelatione de vera et solida hominis beatitudine et ejus promissione C. h. e. ad quod impellit etiam non supposita hac revelatione et promissione N. S. Auc. libro citato c. 3. docet omnes homines naturaliter velle esse beatos ; c. 4. inquiri, unde existat de ipsa beatitudine tanta diversitas voluntatum ; c. 6. respondet id esse ob pravitatem generis humani, qua interdum eligitur, unde magis a beata vita receditur ; c. 7. infert necessariam esse fidem, quæ nobis veram beatitudinem in particulari et præsentis scilicet statu proponat, nempe Dei visionem.

*Inst. 5.* Homo habet naturale desiderium videndi ipsam substantiam Dei, ut docet S. THOMAS, maxime L. 3. contr. Gent. c. 50 et alibi sæpius ; ergo habet appetitum innatum visionis beatificæ.

R. Habet naturale desiderium videndi substantiam Dei sub ratione causæ primæ, et quatenus præcise relucet in creatoris ut auctor naturæ, atque hinc etiam modo solis naturæ viribus congruente, seu per cognitionem abstractivam C. sub ratione objecti beatifici, et prout est auctor gloriæ, atque hinc visione intuitiva *subd.* habet hoc naturale desiderium modo supra exposito, posita revelatione et cognitione affectuum gratiæ et gloriæ C. his non suppositis, sed cognitis duntaxat effectibus naturalibus a Deo præcise ut auctore naturæ procedentibus N. Sicut enim S. TH. generatim dixerat p. 1. q. 12. a. 1. *Inest homini naturale desiderium intuendi causam, cum intuetur effectum ; sic loco supra citato etiam loquitur speciatim de Deo : Ex cognitione effectuum incitatur desiderium ad cognoscendam causam..... non quiescit igitur sciendi desiderium, naturaliter omnibus substantiis intellectualibus inditum, nisi cognitis substantiis effectuum, etiam substantiam causæ cognoscant. Per hoc igitur quod substantiæ separate cognoscunt omnium rerum, quarum substantias vident, esse Deum causam ; non quiescit naturale desiderium in ipsis, nisi etiam ipsius Dei substantiam videant.*

Hinc vero sequitur male inferri, inesse homini appetitum innatum visionis beatificæ ; quia ANGELICUS manifeste loquitur de desiderio, quod cognitionem subsequitur, et sic de appetitu elicitio, cum e contra innatus nihil aliud sit, quam pondus quoddam et inclinatio naturæ seu potentiæ naturalis tendentis in bonum sibi conveniens absque prævia cognitione.

*Inst. 6.* Homo sola duce natura appetit videre Deum ; tum quia *Platonici*, teste Auc. de Civit. L. 10. c. 1. ponebant beatitudinem hominis in fruitione Dei : tum quia Auc. ex eo maxime urget Pelagianos negantes parvulis non baptizatis regnum cælorum, quia eorum anima sit *imago Dei* : et ex hac

ipsa ratione L. 4. contr. Jul. c. 3. dicit hominis naturam mereri gratiam Dei ; ergo.

R. N. A. *Ad rat. 1<sup>am</sup>.* R. D. Platonici ponebant beatitudinem in fruitione Dei per cognitionem abstractivam C. per claram et intuitivam Dei visionem *subd.* aliqui sic ponebant id edocti ex sacris litteris et sic præsupposita revelatione divina C. solo naturæ lumine id consecuti N. S. Auc. ibid. c. 11. declarat se multis adduci, ut credat *Platonem* Moysis libros legisse ; in his autem, nempe Exod. 33., fit mentio visionis Dei intuitivæ.

*Ad rat. 2<sup>am</sup>.* et quidem *text. 1<sup>um</sup>.* redit responsio data, nempe S. AUGUSTINUM recte hæc urgere contra *Pelagianos*, et ab exclusionem imaginis Dei a vita æterna probare in parvulis peccatum originale, cum illi faterentur vitam æternam nobis revelatam et promissam. *Ad text. 2<sup>um</sup>.* R. per illud meritum naturæ ad gratiam intelligi duntaxat capacitatem, quam homo ut rationalis et *imago Dei* habet ad gratiam, non autem lapis, lignum aut pecus. En ipsa verba AUGUSTINI Julianum alloquentis n. 15. c. 3. *Bonam dicis hominum naturam, quæ talis gratiæ opitulationem meretur. Quod gratanter audirem, si hoc propterea, quia rationalis creatura est diceres. Neque enim gratia Dei per J. C. D. N. lapidibus aut lignis pecoribusque præstatur, sed quia imago Dei est, meretur hanc gratiam : non tamen, ut ejus bona voluntas possit procedere præter gratiam, ne vel ipsam prior det, ut retribuatur illi, ac sic gratia jam non sit gratia, dum non datur gratuita, sed redditur debita.*

*Inst. 7.* Natura humana in puris naturalibus condita frustra ordinata foret ad beatitudinem naturalem ; ergo. *Prob. Ant. 1<sup>o</sup>.* Quia beatitudinem illam assequi non posset ; cum S. Auc. L. 10. de Civ. c. 2. aperte pronuntiet neque sine gratia obtineri posse beatitudinem illam naturalem, quam Platonici statuebant in contemplatione Dei. *2<sup>o</sup>.* Quia beatitudo hæc in abstractiva solam cognitione consistens non haberet reliquas proprietates beatitudinis.

R. N. A. cum *1<sup>o</sup>.* *Prob.* Natura enim pura tum physice tum moraliter posset mereri beatitudinem naturalem per bona opera naturalia ; ut mox dicitur. S. AUGUSTINUS loquitur de natura lapsa et peccato corrupta ; nos autem de natura pura et innocente.

*Ad 2<sup>am</sup>.* *Prob. N. Ass.* Nam non repugnat, ut intra latitudinem cognitionis abstractivæ detur aliqua tam clara et perfecta, quæ per se moraliter saltem necessitet voluntatem ad inhærendum Deo per amorem ipsius naturalem ; item quæ conjuncta cum speciali Dei protectione extrinseca peccatum omne et proximam peccandi potentiam excludat. Nec repugnat, ut Deus hominem in pura natura conditum post vitam innocenter actam transferat aliquem in locum, ubi illa cognitione et protectione perpetuo fruatur, ac una reddatur certus de hujus perpetuitate status.

Quibus positis partes vel condiciones beatitudinis supra requisitæ adsunt. Neque timenda hic est *inquietudo* aliqua ob carentiam beatitudinis perfectioris, qua fruuntur beati in cælo ; vel enim naturaliter beatus hanc non suspicatur esse possibilem, vel certo judicat eam sibi non deberi : unde aut nullo aut inefficaci solum et conditionato ejus desiderio tenebitur, quod sicut se habet per modum simplicis cujusdam velleitatis, sic naturale gaudium et quietem non turbat.

*Inst. 8.* Dici nequit, quod homo eam solum consequatur *in anima* ; cum